

14
I. N. 7.

DISSERTATIO HISTORICA
DE

SYMBOLIS
VETERUM
SCANDIANORUM
CIVILIBUS,

Cujus

PARTEM PRIOREM,

Consens. Ampliff. Facult. Philos. in Reg. Acad. Aboënsi,

Sub PRÆSIDIO

MAG. JOHANNIS
BILMARK,

HISTOR. & PHIL. PRACT. PROF. REG. & ORD.

Publico examini modeste submittit

CAROLUS SEDENIUS,

VESTRO-BOTNIENSIS.

Die XVIII. Aprilis An. MDCCLXIV.

L. H. Q. A. M. C.

ABOÆ impressit Joh, CHRISTOPH, FRENCKELL,

S:Æ R:Æ M:ITIS
MAGNÆ FIDEI VIRO,
REVERENDISSIMO PATRI ac DOMINO,

D: NO O L A V O
K J Ö R N I N G,

S. S. Theologiæ DOCTORI Celeberrimo, Diœceseos Hernœ-
fandenſis EPISCOPO Eminentissimo, Venerandi Conſiſtorii
PRÆSIDI Gravissimo, Gymnaſii ibid. Scholarumque
EPHORO Accuratissimo,

MÆCENATI & PATRONO MAXIMO.

Cum ſapientia viâ admodum ardua fit; plerique, qui bonis li-
teris operam navant, in medio deſcendent ſtadio, niſi anhe-
los Magnorum Virorum beneficentia iterum iterumque ſubteveret.
Mibi certe iſta contigit felicitas, ut in TE, REVERENDISSIME PRÆ-
SUL, tantum tamque benignum expertus ſim Patronum, ut nec ma-
jorem nec meliorem optare potuerim alium. Cernuus, uti par eſt,
TE veneror ob teneram curam, qua ſtudioſorum meorum & initia &
incrementa eximium in modum promotâ voluiſti. Quantum TUIS
auſpiciis profecerim præſens opusculum, quod mea in TE pietatis
Symbolum erit, aliquantum declarabit. Suſcipias illud, REVE-
RENDISSIME PRÆSUL, ſerena, qua ſemper ſoles, fronte, faciliſque
mibi concedas, proluxa TUÆ gratiæ Symbola in poſterum etiam nume-
rare. Ego viciffim ardentiffimis precibus Supremum Numen fati-
gare non intermittam, velit TE, REVERENDISSIME PRÆSUL, ſoſpitem
atque incolumem conſervare, ut Eccleſiæ, Patriæ, Rei Litera-
riæ, Familiæque TUÆ Nobiliſſimæ commodis atque deſideriis quam
diutiffime ſufficiat! Ita vovet

REVERENDISSIMO NOMINI TUO

aliens devotiſſimus

CAROLUS SEDENIUS,

VIR AMPLISSIME,

D:NE DANIEL
GADOLIN,

CAMERARIE Provincialis meritissime,

PATRONE INDULGENTISSIME,

Exiguum quidem est temporis spatium, quo in domum
TUAM honestissimam admissus, atque educationi Filii
TUI optimæ indolis sui præfectus; nihilo tamen minus,
VIR AMPLISSIME, pluribus me mañasti beneficiis, quam ut eo-
rundem numerum rite inire queam. Quid scribam? Gratias a-
gere me? Ne concipio quidem, & vere dicam, expectatio-
nem meam longe superarunt. Sicut vero liberalitatis TUÆ
documenta ingenuum pectus quotidie vellicant; ita & ani-
mo connitar & labore contendam, ne ingratum magnitudine
officiorum TIBI devinxisse videaris. Hac mente Specimen
hocce Academicum in symbolum meæ in te pietatis, nunquam
intermorituræ, TIBI humillimus offero, quod ut ea, qua
es, humanitate excipias, enixe rogo atque obtestor. Cete-
rum ut Ulysses apud Alcinoûm nihil habet, quod pro ingen-
tibus meritis rependat, præter vota & grates; ita ego, cum
cetera desint, ad Summum rerum Moderatorem calidissima
nuncupabo vota, velit TE, VIR AMPLISSIME, in longam anno-
rum seriem sospitem atque omnigena felicitate mañatum no-
bis conservare. Ero, dum vixero,

AMPLISSIMI NOMINIS TUI

cultor humillimus

CAROLUS SEDENIUS.

VIRIS Admodum Reverendis atque Præclarissimis,

D: no JOHANNI LIDIN,

PASTORI in Sidenfö longe meritissimo,

D: no Mag. CAROLO GENBERG,

Ecclesiæ, quæ Deo in Arnäs colligitur, PASTORI dignissimo,

D: no Mag. ERICO SYLVIN,

PASTORI cœtus Divini, qui in Neder-Calix floret, vigilantissimo,

FAUTORIBUS OPTIMIS, HONORATISSIMIS.

Dum Symbola veterum Scandianorum civilia, temporis injuria fere obsoleta, & denso ignorantæ peplo immane quantum involuta, renovo explicoque, vellem etiam, singula illa *Symbola Obligatoria*, quibus Vos, *Favores Optimi*, Parentes meos, præcipue autem me ipsum, Vobis devinxistis, plene enumerare. Sed quam impar sim muneri huic, quod ipsa mihi injungit pietas, rite obeundo satis sentio superque. Ne tamen ingratus habear, pro plurimis eximii VESTRI favoris symbolis unicam solummodo grati animi tesseram, dissertationem hanc Academicam, nunc trado. Quod hujus desit pretio, vota compensabunt, quæ pro VESTRA VESTRORUMQUE intemerata felicitate fundo, semperque fundam ardentissima

PRÆCLARISSIMORUM NOMINUM VESTRORUM

cultor observantissimus

CAROLUS SEDENIUS



Signa tibi dicam, tu condita mente teneto. VIRGIL.



uamvis mortales plurimis, eisdemque præstantissimis, dotibus beneficio optimi Conditoris sint instructi; hæ tamen instar feminis, plantam quidem integram continentis, sed imaginem hujus vix ostendentis, eisdem veluti fasciis, quibus nos, dum lucem hanc primum adspicimus, constringimur, adeo implicantur, ut nec suam excellentiam, nec quam nobis præstent utilitatem, confestim prodant. Nemo igitur miretur, quod artes etiam, quæ ab hominum pendent ingenio, infantia veluti infirmitatibus fuerint pressæ. Docet quippe experientia, quod inventa quævis ex tenuibus admodum staminibus emerferint, nec non per

A

len.

lentes atque largo sudore humectatos gradus ad perfectionis culmen pedetentim adscenderint. Nulla quippe ars aut disciplina simul inventa est atque absoluta; sed, necessitate meditando ansam & efficiendi adminicula subministrante, mutationes temporum & crebra vicissitudines interiorum rerum aditum paulatim aperuerunt. Quibus tandem diuturna accessit experientia, quæ partim addendo partim etiam demendo limatam nostram reddidit cognitionem. Tantæ molis fuit, artes quasvis promovere. Omnem igitur lapidem movisse videntur primi homines, ut pretiosum adeo thesaurum hereditate velut ad feros transmitterent nepotes. Sed novum, idemque gravissimum, eluctari cogebantur impedimentum. Quomodo enim cogitationes seu imagines rerum quarumvis, non raro immaterialium, corporibus ita essent imprimendæ, ut solo adspectu non tantum accuratas rerum ideas in posterorum animis producerent, sed etiam illæ contra temporum injurias perennarent? Quæ, quæso, Dædali industria tantis sufficeret ausis? Verum ex hoc quoque labyrintho sese expedit genus nostrum, introducendo certos linearum ductus vel alia quædam signa, quæ, muta licet, sua tamen figura, ex communi hujus vel illius gentis consensu, notionibus quibusdam tam rerum quam eventuum excitandis inservirent. Cumque homines etiam plebei ad notas quaslibet in memoriæ subsidium inveniendas satis sint idonei; probabile admodum est, ipsos symbolorum prius artificio, quam litterarum monumentis, quæ tersum magis sapiunt ingenium, res notatu dignas

gnas consignasse. Quemcunque igitur adeamus populum, in symbolicis involucris animorum interiores adfectus ingeniose explicatos atque immortalitati consecratosprehendimus: Quid aliæ in hoc negotio præstiterint gentes, alii exponant Palæophili; breviter monuisse juvabit, quod in veterum symbolis tales imaginum species non raro occurrant, quas nec Narcissus quispiam contemnere, nec ferox Tharsites averfari possit. Animorum enim potius, quam oculorum hæc sunt pabula, quæ mentes, sapientiæ avidas, oblectant & erudiunt. Rem igitur haud ingrattam nos facturos existimavimus, si de præcipuis veterum Scandianorum Symbolis Civilibus hac occasione ageremus. Sicut autem hæc ignorantia nata sunt seculis, atque ex indole sua aliquid obscuri continent; ita post tot seculorum decursum ac tantum monumentorum defectum, adeo intricata facta sunt, ut istis rite explicandis non Oedipi sagacitas, nedum tenuis nostra industria, sufficiat. Quicquid vero sit, speramus B. L. innoxios nostros labores æqui bonique fore consulturum.

§. I.

Vocabulum *Symbolum*, quod Græcæ est originis ἀπό τῆς συμβάλλει descendens, varia omnino in scriptis Philologorum sustinet significationes, quarum præcipuas hic indicasse haud pigebit. Immo Vox igitur hæc sumitur latissime pro nota quavis vel signo rei, animo conceptæ; qua quidem ratione tesse-

æ militares, aliæque, symbola nuncupari solent (a). Immo quicquid convivæ in solemnibus conferre sive verunt, sive annulus esset, sive numus, sive cibus, symboli etiam nomine insigniebatur (b). II:o Notandum est, quod symbolum interdum appelletur similitudo & aliqua naturæ communitas; & hoc quidem modo vocabulum istud jam late, jam iterum strictè & proprie sumitur. Priori sensu quamlibet fere similibus rationem complectitur; posteriori autem ea dicuntur symbola, quæ rem, cui aliquid obscuritatis inest, figurate significant. III:o Symbolum vocatur etiam sententia quædam, qua docti inprimis viri partim loquendo, partim etiam scribendo utuntur; quæ gnoma a vivis in albis inscripta in demortuorum epitaphiis legi nonnunquam solet. (c) IV:o Denotat publicam fidei confessionem, qua, tanquam tessera militari, omnes socii, qui fidem suam Christo militari sacramento vere obstrinxerunt, ab iis, qui adulterinæ sese doctrinæ fucos tales ementiebantur, separari voluerunt (d). Tri a priora vulgo dicuntur *Civilia*, quartum vero *Ecclesiasticum*. Majores nostri symbola vocarunt **MERKE**, vocemque hanc variis rebus applicuerunt, ceu annales passim docent (e).

(a) Varias Signorum species recenset PHAVORINUS, quæ fuerunt σύμβολοι, σηµεία, τεκμήρια, εἰκὼν καὶ ὁµοίωμα. Hæc autem ita distingvit: Διαφέρει δὲ, ὅτι σύμβολον καὶ σηµεῖον ἐπὶ τῷ θεῷ (positione) λέγεται, καὶ ἐκ τῆς ἡμετέρας ἐστὶ διανοίας, εἰς ἐν πλεμῶ σαλπικτος ἦχος. Τὰ δὲ λοιπὰ τρία ἐπὶ τῶν φύσει (naturalia). Διαφέρει δὲ καὶ ταῦτα, ὅτι εἰκὼν μὲν καὶ ὁµοίωμα τὴν τῶ πραγµάτων φύσιν εἰκονίζουσιν, ἢ μὴν ἀπὸ ἀποστολάκιως?

λάκτως. Τὸ δὲ περὶ μὲν ἀναγκάως ἐπιτεῖ τῶ πρόγματι μόνῳ
 μηδὲν τῶν συμβεβηκότων ἔχει ἐν ἑαυτῇ. Οἷον πρὸς, καπνός.
 (b) Videatur inprimis ISAACUS CASAUBONUS in *Anima-*
adversus in Athenæum Libr. III. cap. XXXI. (c) Vid. G.
 PASCHII *Libr. de variis modis moralia tradendi p. m. 404.*
 405. (d) Confr. RUFFINUM in *exposit. Symbol.* nec non
 alios passim auctores. (e) Nomen MERKE lingua nostra
 cum signum militare, tum quoque notam & characterem,
 immo etjam silvam denotat: æquivaletque adeo ULPIL.
Markos, vid. STIERNHIELMI *Glossarium p. m. 112.* nec
 non *Gall. Marque & Angl. Mearc.* Hinc *Merkis Madur*, quæ
 vox partim *Mercurium* seu litterarum atque signorum peri-
 tum, partim, ni fallor, Principem limitaneum (*Marcgravium*),
 partim denique *Vexillarium* significat.

§. II.

Quam symbolis in præfatione dissertationis vin-
 dicavimus, simplicitas satis indicat superque, quod
 canam admodum sapiant ætatem; sed quis eadem
 primus invenerit, perquam ambigua est quæstio.
 Sunt tamen nonnulli, qui symbolorum auctorem,
 magnum Israëlitiæ populi ducem, Mosen, constituunt;
 traduntque, quod in evolvendis sacris ipsius volumi-
 nibus plurima invenerint symbolorum vestigia (a).
 Enimvero dum historiam Patriarcharum perlustra-
 mus, luculenter cernimus, quod ipsorum etjam ævo
 symbola usu recepta fuerint. Ut enim nihil dica-
 mus de duobus illis ingentibus colossis, svavibus, ut
 opinamur, solummodo Judæorum commentis, quos ut
 observationes Astronomicas longo tempore & multo
 studio collectas servarent, extruendos & variis sym-

bolis ornandos curarunt Patres antediluviani (b); in-
super deprehendimus, quod ubi genus nostrum post
diluvium mundi universale, magis magisque incre-
verat, turrim extruxerit Babelicam in בבל *signum*
vel *nomen* seu *symbolum*, & quidem historicum (c).
Quid? Quod Labanus atque Jacobus post multas, eas-
demque acerrimas, contentiones fidam inituri amici-
tiam, in symbolum atque memoriam facti fœderis
molem quandam ex lapidibus congesserint (d). De
Mose igitur, quod ad gloriam inventionis symbolo-
rum hoc tantum affirmare possumus, quod mandato
Divino morem gerens, sancta oracula, cum voca-
les Doctores singulis momentis rite exponendis non
sufficerent, adeoque nec authenticæ veritatis magistri
amplius esse possent, litterarum monumentis primus
consignaverit, ipsa autem symbola cum notæ sint
atque signa conceptuum, ejusdem ferme ætatis sint
atque ipsæ voces. Quocirca inanem omnino sibi su-
munt operam, quotquot in primo eorundem au-
ctore indagando sollicitè deludant.

(a) Vid. *Pbil.* PICINELLI *Tractatum de Symboli na-
tura*, quem *Mundo symbolico* præmisit. (b) Vid. *Flavii JOSE-
PHI Antiq. Jud. Libr. 1. cap. III*, nec non *L' Histoire des Scien-
ses, des Loix &c. Tom. 1. p. m. 3.* (c) Vid. *Gen. XI*, at-
que *L' Histoire Universelle Tom. 1. p. m. 258.* (d) *Conf. Gen.
XXXI: 45 - - 48.*

§. III.

In generali symbolorum consideratione adhuc
occupati, addimus, quod ipsa in principio necessi-
tatis

tatis fuerint ministræ, deinde arcanorum arbitra evaserint, & denique, ex cultis indies litteris, præclarorum inventorum eximia facta sint indicia. Sicut enim omnibus connotatum est hominibus, ut cum alia scire desiderent, tum ea maxime, quæ ad notitiam rerum, a majoribus suis gestarum, pertineant, in quarum laudum partem ipsi etiam quodammodo veniunt; ita vicissim nemo vel olim fuit vel hodie est adeo incurius, ut susque deque habeat, quid de eo ventura statuatur ætas, aut nomen suum arctis tumbarum limitibus inclusum optet; quare erectioris indolis omnes de argumentis quibusdam egregiorum facinorum posteris suis relinquendis, mature fuerunt solliciti. Hinc prima nata sunt symbola, quæ mutalicer, ut diximus, mirabili tamen loquacitate non viventium solummodo diæteria ac sales æmulantur, verum etiam mortuorum, in favillis urnulisque suis jacentium, famam ac fata custodiunt, inque seros nepotes derivant. Pulchrum omnino hoc fuit institutum; ex quo longissime recesserunt plurimi veterum Philosophorum, qui, ne dogmata & præcepta ipsorum in vulgus temere emanarent, symbolica, seu mystica usi sunt docendi methodo, qua non alios, quam ipsorum discipulos in scientiarum penetralia admiserunt. Atque ejusmodi symbolis usi sunt non solum integræ nationes, Ægypti, Chaldæi atque Hebræi antiquissimi, sed insuper propter hanc instituendi rationem præcipue innotuit ex Græcis Secta Pythagorica (a). Sequentibus etiam temporibus Symbolographia gnæviter est exulta, atque in summis habita deliciis.

Delectant enim maximopere concinna ejusmodi inventa, quia expectationem fallunt & superant; quo quidem fundamento omnis figurarum elegantia nititur.

(a) Quare etiam STOBÆUS *Libr. V. Sentent. ex TELETE* sequentia adducit, quæ ex versione ita habent: Nihil adeo proprium est Philosophiæ Pythagoricæ, quam symbolicum doctrinæ genus, voce & silentio permixtum, velut in sacra initiatione, ut non opus sit præmonere: *cantabo doctis, claudatur porta profanis*; sed statim quodlibet dictum exercitatis lucem & characterem sui in promptu ostendit, cæcum autem & obscurum est imperitis. Quemadmodum enim Apollo in Delphicis non dicit, nec abscondit, sed innuit juxta Heraclitum; sic ex Pythagoricis symbolis & id, quod dici videtur, absconditur, &, quod abscondi, intelligitur.

§. IV.

His ita; uti par erat, præmissis, instituti nunc postulat ratio, ut symbola varia, veteribus Scandianis propria, penitus contemplemur, inter quæ primum omnino locum sibi vindicant HISTORICA (a). Sicut igitur extra dubitationis aleam est positum, quod Arctoxæ plagæ longe ante OTHINI II. adventum suos habuerint incolas, quibus haud pauci imperitarunt Dynastæ; ita ægre est admittendum, ipsos adeo socordes atque desides fuisse, ut non aliqua posuerint monumenta, quæ ingenua posterorum pectora iterum iterumque vellicare possent. Profecto sicut antiquissimi Ægyptiorum Reges, ingentes quon-

dam

dam Pyramides, simplices primo, deinde autem variis figuris hieroglyphicis ornatas non sine maximis impensis extruendas curarunt, quæ sua amplitudine memoriam ipsorum diu refricarent (*b*); ita quoque veterum Scandianorum Principes & Heroës, ad imitationem aliarum gentium (*c*), pristinam magnitudinem in ipso funere aucturi & perennem reddituri, *Colles Sepulcrales* conicæ plerumque figuræ ex cæspite (*d*) construxerunt (*e*); tanto quidem majores, quo illustrior fuit persona, quæ huic tumulo post obitum esset inferenda. Quærat forte quispiam: quale in ejusmodi collibus contra edacis temporis injurias atque immemores nepotes foret præsidium? Nostram igitur benigne accipiat sententiam. Cum hi colles peculiaris essent figuræ, & in omnium versarentur oculis, tam pueri quam peregrini a prudentioribus quæsisivisse videntur, quid tandem ejusmodi opera portenderent? Cumque hi vicissim sciscitantibus liberaliter exponerent, quæ traditione patrum acceperant; his, quantumvis rudibus, symbolis ab oblivionis metu egregie cautum fuit (*f*). Quid? Quod singuli defuncti, ad eandem pertinentes familiam, eidem tumulo fuerint illati (*g*), ut in amplo collium numero memoria nepotum non confunderetur. Sed sicut dies diem plerumque docet, & terrenæ moles sensim fatiscunt; ita etiam non multo post consultius duxerunt Majores nostri in recordationem rerum gestarum lapides erigere, quos vel certo ordine disposuerunt (*h*), vel etiam in eisdem varias utcumque expresserunt figuras, ex quibus, nullis licet additis

litteris, haud pauca augurari possumus cum de fortuna illustrium virorum, tum etiam de generis illorum antiquitate. Atque hic in censum veniunt cum lapides prope Upsaliam, *Moraftenar* dicti, tum etiam alii, *Seiersteine* nuncupati (*i*), nec non illi, qui insignia quarundam familiarum gerunt; quales non solum in Suethia, sed etiam in Finlandia passim conspiciuntur. Ut nihil jam dicamus de Cippis Runicis, qui iustis characteribus cum nomina magnorum virorum, tum praecipua quaedam eorum facinora exprimunt. Ex quibus dilucide patet, quod dicti lapides inter Symbola Scandianorum historica merito referantur. Haecenus recensitis addimus munimenta quævis, in hostico praecipue posita, qualia in Oriente plura confecit ERICUS VICTORIOSUS (*t*), quæ ut indubia fortitudinis argumenta fuerunt; ita etiam occasionem præbuerunt, hujus vel illius magnanimi Herois res gestas celebrandi. Denique non est reticendum, quod ut Indi quondam modo saxum, modo arborem, modo aliud hujusmodi signum, tanquam historiae, quo nobilitatis testari possent antiquitatem, symbolum habuerunt (*m*); ita etiamnum apud nos Illustrissima Familia EKEBLADIANA in prædio, Stola dicto, annosam quercum, antiquitatis suæ certissimam tesseram, post plura secula adhuc vegetam conseruet (*n*).

(*a*) *Georg. And. SCHMIDIUS* memoriam historiae studioforum subsidiis quibuscunque juvare allaborans, librum scripsit, quem vocat *Sculpturam, Historiarum & temporum memo-*

patricem. (b) Vid. *L' Histoire Ancienne par M. r ROLLIN Tom. 1. p. m. 19. 20.* (c) Scilicet hic mos tempore belli Trojani obtinuit, quare VIRGILIUS *Aeneid. Lib. III., 62.*

Ergo inſtauramus Polydoro funus, & ingens

Aggeritur tumulo tellus. - - -

(d) Hinc de Germanis TACITUS *Annal. IV. 27:* ſepulcrum cæſpes erigit. (e) Variis, eiſdemque ſolidis, argumentis probat *Cel. SCHEFFERUS in Upſalia antiqua p. m. 357. 358.* quod multi colles ſepulcrales, qui etiamnum prope Upſaliam conſpiciuntur, ætatem ſapiant, quæ adventum OTHINI II. ad boreales oras longe antevertat, quamvis STURLONIDES in *Heims-Kringla Tom. 1. cap. 8. p. m. 10.* aliud indicare videatur. Nec in præſenti negotio a Scheffero diſſentit VERELIUS, qui in *Auctar. ad Hiſtoriam HERV. p. m. 14.* hæc habet: Hujusmodi tumuli ſepulcrales circa veterem Upſaliam viſuntur 669, præter eos, quos ruſticum aratrum avertit, - - - Horum ſepulcrorum quædam ter mille annorum ætatem referunt. (f) Conſ. Colloquium Ducis Aldejoburgeniſis BJARTMARI cum nepte *Hervora* in *Hiſt. Hervor. Cap. VI. p. m. 86.* Adde, a veritate non abhorreſcere, quod memoriam Heroum, in tumulis quietentium, diu ſervaverint egregiorum factorum æmuli Scandiani, & quidem ad fatalem uſque litterarum periodum, qua in magnis poſitum fuit meritis, quævis antiquitatis veſtigia penitus oblitteſcere. (g) Tumuli igitur hi dicti ſunt colles Gentilitii, *Ärtebackar*, vid. *Arv. HVIDFELD. in prolegom. de religione pagan.* (h) An morem hunc ab Iſraëlitis, de quibus conſtat, quod ex mandato Joſuæ duodecim lapides e fundo fluminis Jordani elevatos in littore, in ſymbolum admirandi hujus tranſitus, conſtituerint *Jof. IV: 6. 7. 8.* mutuo ſumſerint, aliis diſpiciendum relinquimus. (i) vid. SCHEFFERI *Libr. cit. p. m. 338. 340.* (k) Dicebantur hi etiam *Bautasteinar* vid. SCHEFF. l. cit. p. m. 362. (l) Conſr. gravem illam orationem,

nem, quam THORGNYRUS habuit ad OLAVUM SKOTT-KONUNG in *Heims Kringl. Tom. I. p. m. 485.* (m) Vid. SEBAST. FOXIUM in *Hist. Pen. p. m. 752.* (n) *Conf. Nobil. LINNÆI Iter V. Gothicum p. m. 45.*

§. V.

Symbolis modo memoratis proximè adjungimus HIEROGLYPHICA, in quibus etiam adornandis Majores nostri suas posuerunt delicias (a). Scilicet duplex litterarum genus apud antiquas gentes in usu fuit, quædam enim Hieroglyphicæ, aliæ vero Alphabeticæ fuerunt. Illæ rudes atque immediate res designandas significabant, non ipsas voces: hæ autem ingeniosiores, quippe quæ non solum voces, sed etiam syllabas & quamlibet soni prolationem apte indicant. Sed hæc obiter. Ad præsens vero negotium propius spectat, quod Symbola Hieroglyphica, quæ excoluerunt veteres, ad tres omnino classes reduci queant; cum alia fuerint *Imitativa*, alia *Tropica*, alia denique *Ænigmatica* (b). In singulis vero horum requirebatur, ut neque apertam neque omnino nullam cum re significata haberent convenientiam. *Illa* sunt, quæ res per signa & figuras, rebus ipsis perfimiles, designant. Sic Scandiani, æque ac alii populi, *Solem* adumbraturi, in plano delineabant circulum, extra cujus peripheriam radii divergentes undique prominebant. Pari modo *Signum Cygni* indicaturi, crucem quandam proposuerunt (c). *Ista* sunt, in quibus variæ diversarum rerum, in-

pri-

primis animalium, formæ & figuræ adhibentur ad significandum vel Deorum vel hominum dignitates, fortunas, mores, virtutes, vitia, adfectiones & actiones. Huc pertinet, quod de Scytharum Principe, *Inda-Thyrso*, memoriæ produnt scriptores (*d*); scilicet ipsum Persarum Regi, **DARIO HYSTASPI**, Scythas aggredienti, *πίμψαι σύμβολον ἀντὶ τῶν γεγραμμάτων*, i. e. misisse symbolum pro litteris, *murē* videlicet, *ranam*, *avem*, *jaculum* & *aratrum*; quibus muneribus, ut argute monuit *Gobryas* indigitare voluit, quod nisi, muris instar, sese in montibus absconderet, nisi instar ranæ lacus & flumina tranaret, & nisi volucrum more per aërem volare posset, ægre effugeret sagittas Scytharum, qui jugum ipsi imponerent (*e*). Gemina his sunt, quæ Vestrogothiæ Legifer **EIMUNDUS**, Regi Svethiæ **OLAVO SKOTTKONUNG** ingeniose exposuit (*f*). Præterea notandum est, quod apud nos non pauci reperiantur lapides sepulcrales, navigio & remigibus, sed nullis omnino litteris ornati; ex quibus colligere licet, *Navarchum*, rebus pelago fortiter gestis inelytum factum, in illo loco quietum obtinuisse portum (*g*). *Hæc* denique sunt, quæ ex permissione & mutua conjunctione variarum figurarum oriuntur, eo difficiliora explicatu, quo magis fuerint composita. Amarunt quoque talia Scandiani, siquidem in Cippis Runicis passim cernimus angvem convolutum, cuius spiræ crucem ceu malleum modo tangunt (*h*), modo vero ambiunt. Quid vero hi mæandri atque ductus significant? Profecto adfectiones hominis ibi

sepulti. Sicut enim angvis plerumque est prudentiæ symbolum, & clava fortitudinis indicium; ita hæc figura haud obscure significat, virum & prudentem & fortem fuisse, id est, vere Heroëm. Nonnunquam intra gyrum majoris angvis, cujus lateri Runæ sunt inscriptæ, cernere licet plurimos minores serpentes invicem complicatos, quique adeo formam *Clypei Aventini* (i) quodammodo referunt. Denique addo, quod ut veteres Scandiani tria præcipue Numina *Tboronem*, *Othinum* & *Friggam* coluerunt; ita quoque eadem intra serpentis gyrum trinis *Scutis Ægidis* (*Ugls Hjalmur*), hoc est, aculeatis lineolis transversim positis in formam crucis non raro significaverint (k).

(a) Quare OLAVUS MAGNUS Lib. I. cap. XXXI: Nonnulli, inquit, pro privatis computis, instar Ægyptiorum, variis animalium figuris, pro litteris utebantur. Conf. inprimis RESENII *Præf. ad Eddam Island.* (b) Vid. CLEMENT. ALEXAND. Libr. V. *Strommat. f. m. 556.* Τῆς δὲ συμβολικῆς ἢ μὲν κυριολογῆται κατὰ μίμησιν ἢ δὲ ὡς περ τροπικῶς γράφεται ἢ δὲ ἀλληγορεῖται κατὰ πινὰς ἀνιγμῶς. (c) Vid. DALINI *Histor. Patr. Tom. I. p. m. 239.* (d) Conf. PHERECYDEM SYRIUM apud CLEM. ALEXAND. (e) Vid. inprimis BAYERUM in *Actis Petropolitansis Tom. III. p. m. 362.* (f) Vid. STURLONID. *Libr. 5 Tom. cit. p. m. 519. 520. 521.* (g) Iconismum ejusmodi cippi Runicis nobis exhibet PERINGSKJÖLDIUS in *Annot. ad vit. Theodor. p. m. 493.* nec non alium in *Monument. Upland. p. m. 178.* (h) Quid figura illa designet, de eo non satis convenit inter eruditos. Nobis præbabile maxime videtur, quod *Malleum Othinum*, MIOLNAR dictum, indicaverit; ut

ut ostenderetur, defunctum Othini militiam secutum, dignumque adeo habitum, qui in sedes beatorum reciperetur. (i) Clypeum hunc ita describit VIRGILIUS *Aeneid. Lib. VII. 656.*

- - - - - Satus Hercule pulchro
Pulcher Aventinus: clypeoque, insigne Paternum,
Centum angves, cinctamque gerit serpentibus hydram.

(k) Vid. PERINGSKJÖLD. *Annot. ad vit. Theod. p. m. 489. 497. 582.*

§. VII.

Talis est fragilitatis hominum conditio, ut inquietis animis magis plerumque inhiant futuris, quam tranquille fruantur præsentibus; unde porro fit, ut mirabilibus cogitationum motibus, ceu procellis maria, agitentur, & nihil non faciant, credant, suscipiant, quo & ex hisce fluctibus sese expediant & obscurum illud peplum, quo venturi temporis facies velatur, quomodocunque penetrent, atque finem vel spei vel metus sic videant. Importunæ huic curiositati originem debent omnes divinationes, hariolationes, auguria & quæ non alia? quæ tantopere ubique locorum & gentium invaluerunt. Mitimus vero aliorum molimina, Symbola veterum Scandianorum DIVINATORIA paucis tantum nunc exposituri. Quicquid igitur insolitum fuit, vehementer ipsos afficiebat, adeo ut occursum viri ignoti in malum etiam omen interpretarentur. Sic tenax ille *Skapnartungrus* regis sui GOTHI præsentiam ægre adeo tulit, ut insecuturum, sicut rebatur, malum tempestive declinaturus, de rupe gentilitia sese præcipitaverit, in Othini sui gremium ita ruens (a). Præterea ex avium (b) partim volatu, partim etiam cantu

cantu varia ceperunt omina: quod quidem vitium gentibus tantum non omnibus, has in media inter cœlum & terram regione versantes, arcanorum Divinorum arbitras & nuncias esse, temere credentibus (c), commune fuit. Sic Svethiæ Rex DAGUS adeo sapiens est habitus, ut, si tabulis fides sit habenda, garritum etiam avium intellexerit (d). Quid? Quod vehementes strepitus rerum catastrophæ, brevi insecuturam, portenderent. Quamobrem etiam cum arcus EINARI *Tambaskelseri* industria Finni in medio non sine ingenti fragore disruptus esset, ille statim prædixit, fatalem advenisse horam, qua OLAVUS TRYGGWASSONIUS Norwagiæ regno privaretur (e).

(a) Vid. Hist. GOTHIC. & ROLF. cap. I. p. m. 8. 9. nec non VALLMANI diff. de *Rupe gentilitia* Upsaliæ hab. p. 8. (b) Præcipue ex rauco cornicum stridore multa ominabantur, vid. STURLONID. Lib. cit. Tom. II. p. m. 194. (c) Quocirca ARISTOPHANES vocat Σύμβολον ὄρνιν *Symbolum avem*. Adde VIRG. *Georg. Libr. IV. 220.* item *Æneid. Libr. III. 360.* (d) vid. STURLONID. lib. cit. Tom. I. p. m. 21. (e) vid. STURLON. Lib. & Tom. nuper cit. p. m. 366.

§. VII.

Ad Symbola præcedente §. recensita proxime accedunt illa, quibus partim gratias Numini suo pro acceptis beneficiis justas persolverunt veteres Scandiani, partim etiam favoris sibi superne præstiti declarationem aliis quasi palpandam exhibuerunt, quæque VOTIVA haud incommode appellantur. Hæc autem

autem modo concipiebantur in personis, votum facientibus, modo iterum in ipsis rebus, quæ Numini consecrabantur. Utriusque rei quædam in medium exempla proferre juvabit. De HARALDO PULCHRICOMO, Norwagiæ Principe, perhibent annales, quod circa regni sui auspicia Numini votum nuncupaverit, se crines, quos habuit eximios, non prius tonsurum aut pexurum, donec universam Norwagiam in suam redegisset potestatem (a). Præterea quoque vota solemnia non raro concipiebantur super varia animalia, quæ proinde vices symbolorum votivorum sustinuerunt (b). Cum autem isthæc ad nostrum scopum minus pertineant; ad alias res, ex quibus natura Symbolorum votivorum melius innotescit, jam pergimus. Igitur si quando Majores nostri graviori quodam morbo laborarent, cui pellendo cognita vix sufficerent remedia, pro recuperanda incolumitate votorum religione sese non raro obstrinxerunt. Horum autem damnati, signum vel simulacrum vitio laborantis membri Numini consecrarunt, atque ex laqueari vel columna ædis sacræ suspenderunt; qualia quidem monumenta ad fontes sotericos etiamnum conspiciere licet (c). Horum autem pleraque ejus sunt indolis, ut facile augurari possimus, Scandianos ab Israëlitis, nec non ab aliis populis orientalibus, per longam traditionem eadem mutuo accepisse (d).

(a) Vid. plura, quæ huc spectant in STURLONID. *Lib. cit. Tom. I. p. m. 76.* (b) In hoc negotio verrem præcipue adhibebant, confr. HERWAR. *Hist. Cap. XIV. p. m. 138,* a quo more nec aliæ gentes penitus abstruuerunt. Docet enim PIERIUS

in Hieroglyphicis, quod porcus mactatus sacramentum præstitum significaverit, & quod pugiles per illum jurare olim consueverint. Si vero annulus nuptialis porco esset adjunctus, symbolum fuit, ex disciplina Hetruscorum, duorum, matrimonio junctorum, vid. PASCHII *Lib. cit. p. m. 429.* (c) vid. P. SUNDBERGI *Diff. de Scandianorum sequioris ævi religione signorum militarium Aboæ hab. p. 23.* (d) Quod ad prius momentum confr. *Num. VI: 5.* quod ad ultimum I *Sam. VI: 5, 17, 18.*

§. VIII.

Sicut majores nostri omnium fere rerum, quæ ad lautam vitæ conditionem pertinent, copia abundabant, nec non pretiosissima quævis cimelia, quæ natura ipsis denegaverat, vitricibus armis & crebris sibi comparaverant expeditionibus; ita quoque non solum alios, ad se venientes, benignitate, quanta fieri potuit, maxima exceperunt (a); verum etiam hospitibus, jam jam abituris, munera quævis, luculenta benevoli affectus indicia, vel dederunt, vel etiam talia ab ipsis interdum acceperunt. Hæc autem Symbola HOSPITALIA nuncupari possunt, dicta a Græcis σύμβολα ξενικά, a Latinis vero *Tesserae Hospitalis*. Docent autem Scriptores, quod symbola hæc varii generis fuerint; quidam enim frustula tantum lignea, certa forma notata, dederunt, cum alii in horum locum vel lignum complanatum, vel talum in duas æquales partes sectum substituerint, quarum unam retinuit is, qui hospitium præbuerat, alteram vero ei obtulit, qui hospitio usus fuerat. Qui interjecto tempore tesseram ejusmodi dimidiariam attulisset, contractæ necessitudinis atque hospitalitatis alterum confessim admo-

ne-

nebat, sicque hospitio fuit exceptus (*b*). Contra ea Majores nostri varia quidem dona, ceu tesseras hospitales, suis præbuerunt hospitibus, non tamen ut hi in ære ipsorum sic essent, sed ut solum teneræ amicitiae, quam hospitii firmaverat usus, quamdiu vellent, his iudiciis blande admonerentur. In exteris enim regionibus constituti hospitia quo demum cunque modo ementita graviter adspernabantur, illis potissimum delectati, quæ strictis sibi paraverant gladiis. Sin aliter nonnunquam contigerit, studium aliorum partim rebus fortiter gestis, partim donis, jam jam exponendis, sibi conservare nitebantur. Igitur, sicut meridionales gentes dimidiatas tesseras hospitibus plerumque dederunt, ita quoque Scandiani amicis, in procinctu itineris constitutis, dimidios nonnunquam annulos præbuerunt, ceu antiquæ commonstrant historiæ. Maxime autem apud ipsos usu receptum fuit, integros annulos, immo & pretiosas armillas donare. Ejusmodi tesseram, anulum scilicet aureum, THORSTANUS Vikingus HALDANO dederat (*c*); eoque prolato, Haldanus benigne admodum excepit filios Vikingi, quibus pridie officia, in hospites conferre solita, non præstitit; unde colligere licet, hunc amicitiae nexum ad posteros quoque se extendisse (*d*). Produunt quoque annales, quod postquam THIALARUS Jonæ per integram hiemem hospitio WILHELMII Regis Vallandiæ seu Galliæ (*e*) usus fuerat, in signum amicitiae ingentem ipsi donaverit armillam, ex auro confectam (*f*). Præcipuæ autem tesserae, genio ferocis nostri populi perquam convenientes, fuerunt eximii enses (*g*), quos munifici Reges ac Principes

amicis suis exhibuerunt (b); in quorum vero locum alia occasione pretiosas rarasque merces, nec non vestes auro argentoque cælaras substitutas legimus (i).

(a) Magnam veterum Scandianorum hospitalitatem non indigenæ solum, sed & exteri Scriptorum perquam celebrant. TACITUS quippe in Germania Cap. XXI. præclare indicat, quod Scandiani hospitibus non solum commoda quævis indulerint, sed etiam discedentibus nova monstraverint hospitalia. Similiter ALBERTUS KRANTZIUS testatur: in omnibus septentrionalibus regnis magnam esse hospitalitatem, sed apud Gothos & Sveones præcipuam, vid. *Joh. Magni Hist. Libr. IV. cap. 11.* Profecto peregrinantibus quoque obviam iverunt, ipsisque comiter salutatis, dona eximia obtulerunt, ut ad se diverterent, confr. *Hist. WILKIN. cap. 267.* (b) Vid. BARONII *Annal. Tom. 1. ad ann. LXXV. n. XVI.* & *Phil. Jac. THOMASIN. de Tesseris hospitalitatis.* (c) Vid. *Thorst. Vikingi Histor. Cap. XVI. p. m. 84.* (d) Confr. *Lib. modo cit. p. m. 82.* (e) vid. inprimis VERELII *Not. ad HERWAR. Hist. p. m. 169.* (f) vid. THJALARI *Jona Hist. Cap. IV. citat. a BJOERNERO in Tractat. om Nordisk Hjeltepryd nad af Gullringar p. m. 22.* Cui adde *Rythmos de CAROLO & GRIMO p. m. 8. v. 23.* (g) *Vid. HERW. Hist. cap. VII. v. 14. p. m. 92.* (h) *STURLONID. libr. cit. Tom. 1. p. m. 699.*

(i) Confr. præcipue WILKIN. *Histor. cap. 284.*

& *Cap. 343.*

AUCTORI.

Symbola dum Sveonum civilia pandis, Amice,
 Excultam mentem prodis & Ipse Tuam.
 Talibus incæptis faveat Rerum Arbiter almus!
 Sic spero baud deerunt præmia læta Tibi.

ANDERS BERGMARK,